

nem ipsius Dei unitrini, quam nonnulli, approximationem essentiae divinae nominant, *quia Deus & Nomen ejus idem est, & Nomen Dei pro ipso Deo ponitur*, sic recte scribit SIMON. de MUIS, *cit. loc.*, *ideo, quando Dei Nomen dicitur appropinquare, hoc ipso Deus dicitur appropinquare.* Et, cum gratia Dei, benignitas, misericordia, justitia, omnipotentia, caeteraque Dei attributa, quae iterum Dei Nomine connotantur, sint, a parte rei, ipsa essentia Dei, mirum non est, quod, hujus respectu, appropinquationem Nominis divini explicuerint nonnulli per appropinquationem essentiae divinae. Nos de eadem non immerito haec duo observamus, primum, quod, propter ignorationem modi specifici nostram, in hac approximatione ipsius Dei, non debeamus rem ipsam negare: Deinde, quod modum ejus, qui est & manet inexplicabilis, non debeamus, vel more Fanaticorum exponere per *ἀποθέωσιν* & participationem naturae divinae Fanaticorum, ut velis dicere cum ARNOLDO, *in Myst. Soph.*, p. 29, *ich muß in Gott vergöttert seyn zum wesentlichen geeinten Ein*; vel extendere ad Naturalistarum & Deistarum *Deum materiatum*, vel, ut alias barbaramente in re barbara loquuntur, *creaturatum*, perque emanationes essentiae suae varias effusum in res creatas, per quas homo possit fieri Deiformis, transformari in Deum, vel immergi in eum, & abyssaliter idem cum eo fieri, ut loquitur BOEHMIUS, *in Aurora*, Cap. XXII, §. 46. Hoc enim hujusmodi est approximationis essentiae divinae explicatio, per quam omnino ipse Deus ejusdemque existentia atheistico modo revera negatur. *Deus spiritus est*, Joh. IV, 24, 2 Corinth. III, 17, qui, uti potest, divino more, sine omni, & commixtione, & confusione, & extensione, tanquam ens infinite perfectum, & expers omnis materiae, omnia implere, Ephes. IV, 10, Jac. I, 17, ita etiam appropin-